JESUITISMUS DETECTUS, SIVE DIALOGUS DE SUPERSTITIONE, PERFIDIA, ET MALIS ARTIBUS JESUITARUM.

Authore *H. T.*

LONDINI,
Excudebat *R. E.* An. Dom. M DC LXXXIX.

JESUITISMUS DETECTUS.

SIVE

DIALOGUS

DE

SUPERSTITIONE,

PERFIDIA,

ET

MALIS ARTIBUS

JESUITARUM.

Authore H. T.

LONDINI,

Excudebat R. E. An. Dom. MDCLXXXIX.

PRÆFATIO.

Amice Lector,

SI quid hic expectes, à ſtudio populari profectum, ut Jeſuitas, commune ad Satyræ laudem argumentum, ſupervacuâ operâ in invidiam adducam, ſcito nihil tam remotum ab accuſatione & velitationibus, quàm ego & naturâ & voluntate, niſi mihi ſuffenus ſim, certè diſciplinâ & inſtitutâ ratione vivendi; ſed procul habito partium ſtudio, eam rationem potiſſimùm iniviſſe, ut fraudes & interiores receſſus detegerem; ſin verò, Jeſuitis videbor paulò vehementiùs in eos invectus, ſciant illi non dictum, ſed reſponſum eſſe; ea enim propoſita erat conditio, ut vel hâc defenſione famam meam ab eorum calumniis vindicarem, vel indefenſus invidiæ moli

ſuccumberem. Utcunque ſit, hoc ſaltem præſtiti, ne meo ſilentio condemnatus, famæ patrocinium turpiter deſeruiſſe videar. Satis intelligo Britanniarum fortunas ab hujus velitationis aliâ non pendere, tamen aliquatenus reipublicæ intereſſe arbitratus ſum, ut commentitia illa pietatis perſona detraheretur, cujus commendatione nonnullis Proteſtantibus & bonæ Catholicorum parti impoſuerant, quâque etiamnum induti ſimplici popello fumos vendunt. Nec unquam uberiorem quæſtum faciunt, quàm ubi maximos tumultus religionis prætextu excitarunt; tunc enim confeſſionibus pretium accedit, & in nobilium ædibus delitescentes ſpecie obſequii dominantur, & hoc pacto plures in naſſam illaqueant, non ſuâ ſolùm, ſed patronorum autoritate ſubnixi. Uſq; adeo lucri ſtudio incenſi in ea mente & cogitatione verſantur, nihil eſſe ſuis rationibus utilius, quàm è ſuperſtitioſis hominibus emunctâ pecuniâ, in otio turpiſſimo ætatem degere; quantâ rerum privatarum turpitudine & publicarum infœlicitate, documento eſt hodierna rerum facies; ſed nunc aurigantibus ſatis, publico Britanniæ ſuffragio ad rerum gubernacula admotus eſt potentiſſimus Princeps, ſub cujus auſpiciis pax & libertas reſpirare videntur, qui

tantâ

tantâ virtute & celeritate pontificiis gladiis à cervicibus noſtris excuſſis, libertatem vindicavit, ut non modo rei gerendæ ſpem, ſed geſtæ fidem ſuperârit. Fremant licèt Jeſuitæ tam tempeſtivum auxilium capiti fortuniſque noſtris allatum eſſe; tanta virtus candida poſterorum ſtudia demerebitur, docebitque à Regiis Conſiliis arcendos eſſe eos, qui faciunt animos humiles formidine divum, depreſſoſque premunt ad terram. *Sed mitto hæc; nunc accedo ad provinciam, quam neq; oſtentationis ſtudium, neq; diſputandi ſubtilitas, ſed defenſionis neceſſitas impoſuit. Adeò enim ab hujuſmodi contentionibus abhorret animus, ut nunquam adduci potuiſſem, ut tam intemperanter ocio abuterer, niſi eò ventum eſſet, ut calumnias hinc inde ſedulò ſparſas, vel ſilendo agnoſcere, vel ſcribendo defendere neceſſe haberem. Hæc tamen Latinè ſcripſi, ne, ſi fortè vulgari ſermone hæc edita eſſent, plebeculæ in Jeſuitas impotenter furentis ſuffragia, quæſiiſſe viderer; iniquum eſſe ratus id facere, quod in adverſariis reprehendo, quibus ſolenne eſt, populi erroribus & ſuperſtitione uti, contra omnes quos vocant Hæreticos, omnia rectè ſapienterq; inſtitui putantes, quæ pro ſuæ cauſæ defenſione geruntur.*

JESUITISMUS DETECTUS.

COLLOQUIUM.

Sophronius. *Philotheus.*

Sophro. SÆpe admiratus ſum, mihi corporis habitum, pro diversâ cœli facie, ſic immutari, ut non modo temporis vicissitudinem in corpore meo experiar; ſed etiam pluvio & ſereno cœlo variis modis me affectum ſentiam: unde obſecro, mi Philothee, tantum juris habent res inanimes in animam humanam, nullo neceſſitudinis fœdere ſibi cognatam, utpote quæ genus è cœlo trahat, & nihil cum rebus corporeis commune habeat.

Philo. Rem attigiſti ſapientiſſimorum virorum ſermonibus nobilitatam, & mea quidem ſententia tum temporibus opportunam, tum etiam perſonis, quas ſuſtinemus decoram. Quid enim magis publicæ pacis intereſſe poteſt, quàm ut certo diſcrimen ſtatuatur inter corpus &

 animam?

animam? Nam ex hujus diſcriminis ignoratione tam atrocia de religione diſſidia orta ſunt, ut non alio fere prætextu hodierna bella gerantur. Quiſque ſuam religionem mordicus tenet, citius ab agro quàm ab arâ paterna deceſſurus religionem cum fortunis ſortitus, è cunabulis verius quàm è ſacro ſuggeſtu hauſtam.

Sophro. Sic eſt, mi Philothee; nihil eſt in rerum natura difficilius quàm animum præjudiciis, cum lacte nutricis hauſtis exuere: inde factum eſt, ut quiſque eas excolat artes, quas naturæ impetus vel fortunæ alea obtulerit, & odia & amores cæteroſque affectus paternos induat, & ex eiſdem de omnibus rebus ſententiam ferat: qui ſunt ingenio umbratili ad ocium nati, fere ſunt in huminis cultu operoſiores, quorum animos nimirum tranſverſos agit inconſultus religioſæ mentis impetus, & terroribus impleat quos ipſi ſibi effinxerint; puerorum ritu, qui nocturnis terroribus ſe mutuo territantes ex vanis terriculamentis voluptatem captant. Nec mirum videri debet, homines in ocio & tenebris verſatos, vanis & ſuperſtitioſis terroribus præcipue obnoxios eſſe, cum bruta animantia eodem modo affici videantur. Equus enim cui ocium & æquo largior animarum copia peperit laſciviam, proclivior eſt ad pavorem, quàm ſtrigoſus caballus quotidiano labore & macie confectus. Quidni igitur homines qui vitam voluptariam amplexi ſunt, cæteris mortalibus acriori ſenſu religionis præditi ſint? Quid frequentius in cœnobiis, quàm larvæ, ſpectra, & lemures? quotidianos cum illis miſcent ſermones. Hæc Angelum cuſtodem elegantiſſimi adoleſcentis ſpecie indutum, coram alloquitur, alia Divi Chriſtophori aut Georgii conſpectum, cereis roſariolis, & ejuſmodi munuſculis, mercatur, & ſibi quæque ſtudet demereri eos divos, qui jucundioribus fabulis innotuerunt, veluti Joannam, Chriſtinam, Apolloniam, & harum imagines imprimis

primis caras habent, amplectuntur, exoſculantur, & repetito Pygmalionis exemplo, " dona ferunt illis, conchas, tereteſq; " lapillos, & parvas volucres & flores mille colorum; & quod mirere magis, eo inſaniæ quorundam hominum præjudiciis & ſectis imbutæ pervenerunt, ut à vetere idolorum cultu non longè abeſſe exiſtimem; quò enim pertinet ornandarum imaginum tam ſollicita cura, & idem cultus illis præſtitus, quem S.S. Euchariſtiæ exhibent, quam ſe profitentur adorare: quo pertinent, inquam, marmora & ſaxa cenſus induta nepotum?

Philo. Fruſtra ſis, ſi cum iis ratione agendum putes, qui non hoc agunt, ut vitæ inſtituendæ rationes inveniant, ſed inventas defendant, quique ad religionis ſuæ diſciplinam non ratione, ſed natalium ſorte acceſſerunt. Nunquam ſuas partes fortius agit ſuperſtitio, quàm cum animos ſic affectos invaſit. Quidvis enim ſibi putant licere in eos, quos fortuna vel ingenium à ſe diſſentire voluit, adeoque in omnibus retrò ſæculis ſuperſtitionem ſemper crudelitate & ſuperbiâ comitatam invenimus: quidam eo progreſſi ſunt, ut ne propriis quidem natis pepercerint, ubi numinis cultus id poſcere videretur: alii flagellis, virgis cæteriſque tormentis in propria corpora deſævierunt, ut Deos ſibi propitios demererentur. Imo verò etiam hodie Sacerdotes Indici & Turcidi veſtium ſqualore & rigidæ vitæ ſeveritate, Monachis reliquiſque vitæ cœnobiticæ ſectatoribus non concedunt. Tantum imperium exercet in animum humanum ſuperbia, cùm Deorum favore imbecillitati ſuæ blanditur, & cœlites in criminis ſui ſocietatem adducit. Quicunque enim opinioni adverſatur, quam de Diis conceperunt, eum non aliter quàm humani generis perniciem nefarie molientem, ſacris diris dovovent, & exquiſitiſſimis ſuppliciis læſi numinis, ut ſibi blande perſuadent, Majeſtatem ulciſcuntur, quidvis ſibi ignoſcentes

modo Deum ſceleribus ſuis inſcribant. Jam verò quis non extremæ dementiæ & ſuperbiæ putaret, ſi Copernici Philoſophiam edoctus cum Ariſtotelicis & Tomiſtis inimicitias ſuſcipiat, quod aliam philoſophandi rationem didicerint? atqui hoc utcunque ridiculum videatur quotidie facimus, quoties de Deo & religionibus philoſophamur. Tum enimvero ſupra ſortem humanam ſupercilium attollimus, & delicato faſtidio cæteros deſpicimus, tanquam de ſuperis malè meritos, & ad æterna ſupplicia damnatos: Perinde quaſi certi quicquam eſſet in rebus humanis, unde nobis polliceremur nos neque labi neque errare poſſe.

Sophro. Malè profecto cum republicâ agitur, cum ejuſmodi erroribus imbutis hominibus rerum habenæ committuntur. Quæ enim vita futura eſt, cùm quiſque opinionem præ timore celans, turpiſſimâ ſimulatione, alienæ ſuperbiæ litare cogitur? quidve magis humanam naturam dedecere poteſt, quàm opinandi libertatem à naturâ ingenitam, tantâ ſuppliciorum atrocitate punire? Satis docent ſæculi proxime elapſi exempla quanti reipublicæ interſit in religionis procuratione modeſtiam adhibere à magnitudine animi & humanitatis genio profectam, non qualem duplices Loyolitæ induunt captando popello idoneam; qui modeſtiæ laudem obſtipo capite & dejectis luminibus metiuntur; cum excluſo vulgi arbitrio, hæreticâ pravitate, ut loquuntur, infectos, ceu peſtem execrantur enſe recidendam, ne pars ſincera trahatur. Satis dico ſuperque ſuperioris ſæculi infœlicitas oſtendit, quam malè verterit toti Europæ Philippi Hiſpanorum Regis intempeſtiva ſeveritas; cùm enim non aliâ ratione quàm fuſo ſanguine ſuam religionem ſancire vellet, quos motus per Europam excitavit? Hinc bella, cædes, latrocinia, exhauſtæ regni opes, hinc Albani furiæ; quas fœliciſſimè deſcripſit magnus Grotius; "metus unicus Albæ eſt, ne nihil audeat

"rent

"rent hoc rerum in turbine cives & cauſam bellis patientia "tanta negaret—— ingenii certamen erat, quæ pœna pla- "ceret—— præcipitata ſenum, puerûm prærepta, virorum "fata ferâ violata manu,&c. Hæc quidem expectanda erant à Parmenſi, quæ nimirum ab ipſo Ignatio Loyolâ regnandi artes cum religione didicerat; hæc enim prima confeſſionum frequentiorem uſum revocaſſe dicitur, autore Ignatio, ut eâ conſuetudine invaleſcente, ad ſecreta Regum penetralia aditus aperiretur, ipſeque regiis ſecretis cognoſcendis rem ſuam compendioſius curaret.

Philo. Iſti ut prodant obligatam in confeſſionibus fidem, & tam inviſo cœlitibus ſcelere quæſtum faciant! Dii prohibeant ejuſmodi ſcelera ab hominibus tam ſanctis & ſeveris, & ſortem humanam aſpernentibus.

Sophro. Utinam prohibeant, ſed triſtiſſimâ mortalitatis lege ſancitum eſt, ut nemo ſit ab omni parte perfectus; nihil tam ſanctum aut religioſum quo vitia & comitata furiis διαβολὴ non pervadat; neque contra hanc infœlicitatem in Monachorum latebris ſatis præſidii reperitur, illi ſuos patiuntur manes, & in eandem mortalitatis legem cum cæteris hominibus naſcuntur; quidni igitur aliquoties contingit, ut hi boni viri labantur, & humanitatis conditione cæcutiant? Et utcunque ſuam ſortem cæteris hominibus impatientius ferant, non aliud tamen meâ ſententiâ conſequuntur, quàm ut eorum audacia & ſuperbia magis emineat & projecta ſit. Quis enim non commovetur cum audiat Caperones iſtos, contra voluptates, veſtium cultum ambitioſe declamantes, cùm ipſi nimirum iiſdem prolixius fruantur, & de virtute locuti clunem agitent? cui non efferveſcit ſplendida bilis, cùm aulicos, milites, clericos, conjugatos, opifices, mercatores ſupercilio theologico fere omnes à cœlo arceant, & ut cum eis mitiſſime agant, nonniſi milleſimum quemque Superûm favore dignantur; cùm

ipſi

ipſi interim ſecuri, quiſque ſui patroni gratiâ nitantur, à quo ſalutis promiſſum chirographo confirmatum habent? Sic Dominicani, Franciſcani, Benedictini reliquiq; cucullati greges ejuſmodi promiſſa pluris faciunt, quàm quicquid Chriſtus hominibus caſtis, & Evangelicæ paupertatis amantibus promiſit. Atque adeo ex hac præpoſterâ fiducia factum eſt, ut in ſuis clauſtris non præſidium virtuti, ſed vitiis latebras quærant, non ut tutius vivere, ſed occultius peccare poſſint. Eodem pertinet inepta illa modeſtia, quam in publicum prodeuntes induunt, obſtipo capite, & figentes lumine terram, tam operoſus corporis cultus, nimirum ad ſpeculi cenſuram certâ lege compoſito cucullo, ad certum numerum è cingulo cannabeo nodorum ſerie defluente, ut penes hujuſmodi nugas totius familiæ decus ſtatuere videantur. Alios videas, qui ſuperſtitioſe barbam alunt, quaſi ad menſuram barbæ ſe ſapere putarent, & immaturæ ætatis fœcunditatem ſuæ gloriæ imparem medicamentis accelerare conentur: imo verò nonnulli reperiuntur, qui ætatis moras impatientius ferant, & præcoci ambitione aſcititiam barbam adhibeant; hiſce artibus ſcilicet ſeveritatis famam captant apud populum, id unice agentes, ut hominum opinionem & ſtudia demereantur, conſcientiæ mentis ſuæ ſecuri; eam enim homines ſuaves virtutem Ethnicam adpellant, Chriſtianis & Catholicis & Religioſis, quas omnes varias eſſe ſectas volunt, alia eſſe præſidia conceſſa dictitantes, quæ in ordinis ſui inſtitutis latere credunt. Quæ omnia, ſi propius intueamur, nihil continent niſi ceremonias Judaicas & certas quaſdam præceptiunculas de iis rebus, quæ ad externum corporis cultum referuntur, ut de veſtitu, de jejuniis, de miſſis, de tralaticiis confeſſionibus; cætera verò omnia quæ ad eruditionem liberalem, animi magnitudinem, rerum humanarum deſpicientiam, veluti virtutes Calviniſticas & Lutheranas

ranas faſtidientes ; adeo obcæcant mentem humanam odia & præjudicia, ut etiam virtutes oderint, ſi hoſtilis nominis invidiâ laborent. Et eò dementiæ à quibuſdam deventum eſt, ut nulla morum honeſtas, nulla gravitas, hæretici nominis invidiam redimere poſſit, neque quantalibet morum ſeveritate, ad probitatis fidem proficere poſſunt ; quin ſtatim quoties clericum conſpexerint, apud ſe muſſitent, En Impoſtorem, en Angliæ peſtem, en hominem concionalem, qui populum rabie occæcatum in Regem & Jeſuitas præcipitem agit ; ſi denique poſt hunc impetum eò ſe redigant, ut animæ illius æternis cruciatibus addicendæ ſalutem precentur, & ut patibulum Inquiſitorum ad cœlum gradum faciant, egregie ſe defunctos putant, & intra modeſtiæ laudem conſtitiſſe. Illos Sacerdotes uxorios vocant, ſibi puſionum amores ignoſcentes ; illis ebrietatem, ſimulationem, dolos objiciunt, cùm ipſi domi ſuæ poculis decumanis Libero patri faciant, ſe innocentiâ tectos rati, modo tenebris tegantur, lucem non crimen fugientes. Quanto rectius docet Mar. Tullius : " Hominis magni & ſapi-
" entis eſſe non ſe putare eſſe ſolum, atque ſibi quodcunque
" concupierit, licere ; ſed habere in conſilio legem, reli-
" gionem, æquitatem, fidem ; libidinem autem, odium, in-
" vidiam, metum cupiditateſque omnes amovere, maxi-
" mique æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quæ ſi opti-
" morum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita
" nobis erit, ſine ullo metu & ſummâ cum honeſtate vi-
" vemus. Quis non agnoſcit caſtiſſimæ mentis ſimplicitatem, in qua omnis vitæ honeſtas & decus continetur ? Quantum abeſt ab hoc candore Loyolitarum duplicitas, ab hac caſtimonia Monachorum libido, ab hac elegantia inepta Capuccinorum ſeveritas ? Quis eſt è paulo humanioribus, qui non malit ſe tam ſanctis præceptis informatum eſſe, quàm delicatâ & umbratili Monachorum diſciplinâ,

ad

ad omnem humanitatis ſenſum obſtupuiſſe?

Philo. Video te commotum eſſe, & inflammatæ orationis impetu extra officii regiones abreptum eſſe; collige te pauliſper, & vide quanto capitis tui periculo crabrones iſtos irritaveris. Paucis licuit inultis eſſe, niſi quibus pœnitendi moras æterni numinis benignitas indulſerit, vel ad graviora ſupplicia tempus prorogaverit: quinimo fere contingit, ut qui inſtitutum Monachorum deſeruerint, eos fama popularis deſerat, & quaſi homines in divinæ ultionis ſocietatem venerint, nemo illos aditu, nemo congreſſione, nemo ſermone dignetur, ſed veluti Diis exoſos abhorreant, & hominibus perfidos ſuſpicentur. Monachorum annales adoleſcentium exitio infames ſunt, qui mutati propoſiti pœnas tulerint. Alium invenias, qui deſerti cuculli conſcientiâ perterritus, laqueo jugulum ſibi fregerit, alium inhoneſto exitu in amicæ complexu morientem, alium in militiæ diſciplinam profectum, ad ſummam improbitatem nihil reliqui feciſſe; poſtremò ita Dei providentiâ comparatum eſt, ut rarum invenias qui non aliquo funeſto exitu, eorum infœlicitatem teſtatus ſit, qui monaſticæ vitæ ſuavitatem ſæculi voluptatibus commutârit.

Sophro. Tu hiſtorias illas veras eſſe credis?

Philo. Si illos audias, parvi refert quàm veræ ſint modo terribiles, nam animis bene erga res ſacras affectis veræ juxta & falſæ proſunt; certis enim experimentis ſe comperiſſe dicunt, nihil plus adferre momenti ad adoleſcentium animos in officio continendos, quàm ut ejuſmodi exempla ante oculos habeant; ubi verò ſemel rationibus argutari didicerint, actum eſſe de diſciplina monaſtica, quæ in eo maximè verſatur, ut propoſitâ infœlici mundanorum conditione, ſuaviſſimi terroris pietate adducti ſanctum ſeceſſum & ocium impenſius ament; niſi timore in officio contineantur, nunquam futurum ut ratione virtutem amplectantur,

ctantur, hoc demum intereſſe religionem & philoſophiam, quod hæc ratione, illa timore hominum animos ad virtutem amplectendam adducat; juxta illud, "Primus in orbe "Deos peperit timor.

Sophro. Nondum adducor, ut tibi aſſentiam; nam oratione tuâ ad omnia ſcelera, crudelitatem & tyrannidem aditum patefeciſti: ſi enim ſemel hominibus ademeris libertatem inveſtigandi veritatem, & eo adegeris ut non ſuadeas, ſed imperes religionem, eâdem operâ ſimul omnem diſciplinam & vitæ cultum everteris; quis enim magno animo honeſta ſtudia capeſſere poteſt, qui eam induit opinionem, ut penes unum hominem judicandi facultatem, & univerſi terrarum orbis imperium eſſe credat? Quàm abjectè de republica ſentire neceſſe eſt hoſce homines? Quàm ignorantes? quorum ea nimirum conditio eſt, ut qui rerum potitur ſuperbia elatus veritatem faſtidiat, quibus parendi ſors contigit humilitate depreſſi, ad ejus inveſtigationem accedere non audeant? Quanto odio perſequi eos neceſſe eſt, qui aliam religionis diſciplinam amplexi ſunt, cùm eorum congreſſum periculoſum, ſermones & colloquia, ceu peſtem vitanda doceant, & tantâ ſupplicio rum ſeveritate in omnes à ſua religione diſſentientes deſæviant? Quæ poteſt cum illis iniri ſocietas aut commercium aut fœdus qui putant ſe neque errare neque falli poſſe, cæteros omnes homines cæcos ſuam ſalutem negligere, ſe ſolos ſapere, cæteros deſipere, inſanire? Sic enim ſentire debent, ſi ſeipſos audiant, qui uni homini hoc tribuunt, ut ſolus ſapiat; ſi enim ab iis quæramus, quibus potiſſimùm rationibus efficiant id quod aſſerunt, ex Scriptura ſe certo hoc colligere reſponſuri ſunt; ſi cùm tot ſint de interpretanda Scriptura ſententiæ quot homines, rurſus interrogemus, unde iis conſtet, ſuam ſententiam cæteris eſſe certiorem, omnino tandem eo adduci eos oportet, ut

ſe ſolos in agnoſcendis Scripturis candidos, in intelligendis acutos glorientur, alios omnes hæreticos eſſe ex fraude & mendacio factos, Scripturas illiberali facinore corrumpere, arbitrio ſuo corrigere, mutare, ad ſuum ſenſum traducere, ut honeſtiore ſuco popello illudant. Quis ferat haſce animi anguſtias quæ univerſum humanum genus à ſimplicitatis, candoris, integritatis, imo verò etiam rationis laude arceat, longéque cœlorum aditu prohibeat, niſi eos ſolos quos monaſterii parietes, quos curtati capilli, quos veſtes talares, quos piſcium eſus à cæteris hominibus diſtinxerunt? Quid eſt amabo hujuſmodi doctrina niſi quædam ſatyra in humanum genus quæ homines virtutibus iis ſpoliat, quas natura ingenuit, honeſtatis cupido peperit, voluntas exercuit? Quam malè denique de rebus humanis merentur, qui communes naturæ laudes ſibi ſolis arrogant; imo magis, qui naturam ſuam faſtidientes ſupra ſortem humanam ſe ſapere volunt? Tædet me ulterius non profuturâ oratione domeſtico ocio ſopitos animos excitare, per me licet ſuis latebris fruantur, dummodo Principis noſtri cura in hujus regni ſalutem tantâ ſedulitate excubantis, publicâ luce frui vetat, citra invidiam in collegiis deliteſcant, modo ne cucullos & portentoſum ſuum cultum in Angliam transferant, cum globulis precatoriis, funiculis cæteroque apparatu & ſupellectile captando populo & vetularum beatarum aucupio deſtinatis; faceſſant cum ſuis fabulis & anili ſuperſtitione, quibus puerorum animos illaqueant, nobis ſatis ſit animus ſibi bene conſcius, & ſine ſuco & perſona aperta virtus, nobis ſatis ſit invictiſſimi Regis indulgentia, qui inquiſitorum gladios cervicibus noſtris impendentes defendat, qui nationis hujus præſidia in arce legum poſita tueatur. Satis intelligo poteſtatem regiam ad acerbitatis ſpem à Loyolitis delectam, & magnificè prædicatam fuiſſe, quam publicis commodis invigilans numinis providentia ad innocentiæ

innocentiæ & religionis præſidium deſtinavit, & ad hoc ſapientiæ famam ab illis tam diligenter quæſitam fuiſſe, ut ipſi nempe ad graviſſima quæque conſilia adhiberentur; hæretici verò ad rerum exuvias vocarentur, & ut acta jam agerent. Sed nunc detracta eſt illa doctrinæ perſona, quam faſtu pædagogico & oſtentationis ſtudio inflammati induerunt, omnibus liquido conſtat quorſum eant populares illæ blanditiæ, & ventus ille popularis tam diligenter quæſitus. Jam enim quis eorum non ridet levitatem, contemnit humilitatem, improbitatem execratur? Imo ut paulo explanatius agam, & ad particularia & magis nota progrediar, quanto omnium horrore & execratione per hominum ſermones graſſatur infamia proditæ in confeſſionibus fidei, quaſi ea in confeſſionibus expiſcarentur, quibus narrandis clientum ſuorum avaritiam, & retinendæ pecuniæ ſtudium, quam in ſacros uſus profundi volunt, ulciſcerentur. Addo familiarum temerata ſecreta propinquorum & fratrum diſſidia ab illis creata, beatas vetulas ab illis captatas, quarum deinde opes in ſuperbis ædificiis extruendis, in domeſticis compotationibus, conviviis exquiſitis poſtea conſumant. Uſque adeo nihil illis ſanctum aut religioſum aut clauſum eſſe poteſt quo illorum audacia non pervadat; ne ipſa quidem veſtalium clauſtra ferro munita, horum libidinem ſatis arcere poſſunt ad interiora penetralia confeſſionibus ſuis ſibi aditum aperiunt, omnemque venerem ſibi putant conceſſam, niſi ſolam illam quam liberis gignendis natura deſtinavit, atque adeo terq; quaterq; beatos eos eſſe prædicant, quorum libido in adoleſcentium amoribus conſiſtat, nempe quæ tutior & minus operoſa & parabilior eſt, quàm quæ in monaſteriis in tanto infamiæ & periculi cardine verſatur. Spero me perfeciſſe ut videas ad quantam amentiam & crudelitatem & humilitatem tam immodica religio homines perducat, & rationibus certiſſimis effeciſſe Jeſuitarum

tarum terriculamenta à republicâ propellenda eſſe.

Philo. Multa à te verius quàm prudentius dicta eſſe exiſtimo ; ſed quare tam importuna temporibus ? ea enim eſt hodierna rerum conditio, ut de hiſce rebus in utramque partem ociosè diſceptare, nec libeat, nec vacet, nec conveniat. Satis nobis negotii futurum eſt, abſque hoc ut Jeſuitas in caput noſtrum excitemus ? Tune putas eos ad oblivionem veteris diſcordiæ, quàm ad novæ potiùs comparationem deliteſcere ? Siccine nôſti Loyolitas ? mihi crede nihil eſt tam firmum, ut ab illis ſit tutum, neque ita abſconditum, ut ab illis lateat ; ſed præſtat in præſens ſilere, & obſequi potiùs temporibus quàm iracundiæ. Hoc enim habent vaferrimi illi homines, ut quos rebus ſuis adverſari judicaverint, ſtatim ut Hæreticos rabie & furore amentes populo irridendos propinent, vel eorum nominibus Romæ delatis, inquiſitores in ultionis ſocietatem trahere conentur, vel etiam apud parentes & conſanguineos obtrectationibus clandeſtinis & infamiâ domeſticâ in invidiam adducant. Hinc factum eſt, ut eorum paupertatem in occaſionem convitii rapiant, qui ſodalitatem ſuam deſeruerint, & eo colore ſuperſtitioni ſuæ patrocinentur, quaſi Ignatiani cœlites in eorum ſupplicium decreviſſent. Ubi ſemel rumuſculis hinc inde ſparſis adverſarios ſuos in hujuſmodi invidiam & calamitoſam famam adduxerint, id unicè agunt ut populo clementes & pii videantur, omneſq; adhibent ſimulandi artes ad famam popularem captandam ; ſibi quidem nihil eſſe antiquius quàm ut Hæreticorum & inimicorum ſalutem etiam vitæ ſuæ diſpendio quærant, quippe quibus hoc unicè propoſitum ſit, Chriſti veſtigia ſequi, ad cujus imitationem præ cæteris omnibus ſe erudiunt. Cæterum cùm ea ſit cæcitas mortalium, ut ſalutem ſuam Chriſti ſanguine partam negligant, & omni ſupplicio neceſſe ſit animadvertere

tere in eos, qui religionis cultum novare ſtudent, ſe quidem utilitati populi potiùs, quàm voluntati parere maluiſſe, & in hac legum ſeveritate aliud nihil ſpectare quàm lucrum animarum; multos eſſe, qui ubi carceres cruciatuſque pertulerint, tum demum ſapiant, remotis videlicet carnis illecebris, reliquiſque oblectamentis, quibus capta interdum connivere ſolet humana virtus; plures à patibulo quàm ſiccâ morte ad cœlum evolaſſe, remittente videlicet hæreticæ pravitatis impetu ubi tanta ſupplicia in hac vita,& in futura æterna tormenta ſuis erroribus parata viderint;omnes ſuos conatus, omnem contentionem, omnem laborem in eo eſſe verſatum, ut æterno exitio animas ſubducant; huc ſpectare tot Gymnaſia, tot ſodalitia B. Virginis, tot collegia regio planè ſumptu & magnificentiâ ædificata, tot templa marmore, ebore & auro extructa: ex omnibus hiſce opibus, ſe ne ramento quidem plumeo propenſiores eſſe factos, ſibi certum eſſe cibi & vini demenſum, unum aut alterum miſſum anteambulone comitatum; exquiſitas verò & extructas menſas à profeſſione ſuâ alienas eſſe, ſe omnia non voluptatis, ſed neceſſitatis modo metiri; niſi fortè ut ſtudio fatigati adoleſcentium animi, honeſtâ & liberali remiſſione reficiantur, vel ubi ad corporis ſanitatem, vel animi oblectationem feriari neceſſitas coegerit, eatenus corporis commodum conſulendum eſſe, dum ad percipienda colendaque virtutis ſtudia conducat, in diſſolvendâ ſeveritate laudem aliquam humanitatis eſſe, comitatem & facilitatem ſeveritati & gravitati aſpergenda eſſe; S. P. Ignatium in omnibus ſuis præceptis & inſtitutis modeſtiæ laudem quæſiviſſe; aliis incultam & rigidam virtutis ſemitam reliquiſſe, veſtis aſperitate & victus tenuitate aliis facilè concedere; alias dotes in ſuis ſpectandas eſſe, qui ad majoris moliminis opus aggrediuntur, & publicis commodis ætatem devovent, in inſtituendâ adoleſcentiâ ad majora

aditum

aditum quærendum esse ; eos potissimùm deligendos εἰς χλωρὸν qui in quotidianas dimicationes & hæreticorum impetus se objiciant ; hisce artibus captant populum, & eo nomine se maxime venditant quod gratis reipublicæ serviant ; licet eodem tempore magnifica templa, ornatissima collegia è vetularum suarum marsupiis surrexerint ; sed viri boni hæc omnia contemnunt, nihil habentes, & omnia possidentes. Nunc quandoquidem incidimus in mentionem earum artium, quibus populum naso suspendunt, venit mihi in mentem impurissimi cujusdam nebulonis, qui nomen suum apud illos nobilitavit vetularum aucupio & captandis adolescentium animis ; contigit mihi aliquandiu cum illo agitare domesticam consuetudiem, eratque mihi cum illo magnus usus & utriusque officiis constituta necessitudo ; nunquam tamen tantâ dexteritate pietatis personam sustinuit, ut non odore quodam suspicionis hominis duplicitatem detegerem ; sed omni officio & sedulitate ita verba sua temperabat, ut utcunque duplicem putarem, tamen candoris & fidei existimationem impetrabiliorem apud eum futuram putabam, quam ut amicitiæ jura sancta & rata non esset habiturus ; non ita multo post domesticis convitiis exagitatus rationibus meis consultius esse credebam, ut contentionibus procul habitis aliò migrarem, ut honesto in ocio studia humanitatis recolerem, dum alii intempestivis conviviis, nocturnis compotationibus ocio & tempore intemperanter abuterentur. Hoc ille sui ordinis contumeliam interpretatus, quasi parum honorificè de domesticæ disciplinæ ratione sentirem, gratiam se maximam apud suos initurum arbitratus, serendis rumusculis & omni lapide movendo id agit, ut famam meam laceraret, ne vetulis & pueris impunè abiviſſe viderer. Quare me clamat religionis esse subsannatorem ; se ex putri codice quem in pugillaribus habebat, facile posse conficere omnes suæ

disciplinæ

diſciplinæ deſertores æternis cruciatibus cum hæreticis addicendos eſſe; quoque melius agat ſuam fabulam, aiunt induiſſe perſonam hominis numine afflati, & diſciplinæ Chriſtianæ anxiè caventis. Sanctè profiteor me nihil dicturum ex inconſulto impetu vel læſæ famæ ulciſcendæ ſtudio, ſed id agere ut infimis precibus paciſcar ne in tam atrocem contentionem ob rem tantillam deſcendere velit; ſi in patrios cineres minxiſſem, vel aviam veneno ſuſtuliſſem, non potuiſſet graviore verborum ambitu in graviſſima ſcelera animadvertiſſe. Quorſum enim pertinent tot de lemuribus fabulæ, ad vetularum aucupium concinnatæ, ad hominum à ſuo inſtituto abhorrentium mentionem perſonati fletus, more Fanaticorum, niſi ut in læſi numinis ſuſpicionem ſic adducar, ut de me multa & gravia parce videlicet cùm narraſſet, plura tacuiſſe videatur, id nimirum compendii aucupatus, ut dum invidiosâ exceptione laudes commemorat, ſibi fidem, mihi invidiam faciat. Hâc arte fretus vir ſuavis, ad Græcanicarum literarum cognitionem non gravate me admiſit, utpote infra invidiam ſuâ opinione depreſſam, & ab hodiernâ rerum elegantiâ alienam. Quo profectò judicio quam luculenter inſcitiam ſuam prodiderit notius eſt, quàm ut refutationem poſtulet. Unde enim niſi Græcarum literarum cognitione ad ſubductiora Theologiæ penetralia aperiendus eſt aditus? ſed nunc non eſt his locus. Si me audiat auctor illi ſum, ut miſſis ludicris & parieti appensâ teſtudine ad bonas literas animum adjungat, viro ſacro inſtituto addicto, tum ad famam illuſtriores, tum etiam ad alienæ ſalutis procurationem multò utiliores, quàm vel artis muſicæ peritia ſibi cum ſaltatriculis communis, vel in alienos mores tam anxia diſquiſitio & ad lites ſerendas rumuſculorum ſpargendorum artificium. Quod ſi hæc præter expectationem ad aures accidant, ſciat à me non alio ſtudio hæc eſſe prolata, quàm ut coram Deo

facino-

facinorum ſuorum memoria mentem ſibi conſciam pudore ſuffundat, & ad ſaniora conſilia adigat ; ſi enim mihi eſſet conſilium ad inhoneſtam cum illo contentionis arenam me dejicere, jamdudum utique ex ſuis virtutibus ornatus ſcenam conſcendiſſet ? Quid enim ad theatrum accommodatius, quàm ut homo ab omni literarum ſtudio abhorrens theologico ſchemate perſonatus, trium Θεολογοπάτων perjurio ad celeberrimas Europæ cathedras evectus de rebus in quaque ſcientia graviſſimis pronuntiare non dubitet, ut homo, inquam, ne grammaticis quidem imbutus, eò audaciæ prorumpat, ut literarum ſtudium ſimul cum nucibus & pueritiæ oblectamentis deponendum aſſerat ; ſi ridere libuiſſet non defuiſſet locupletiſſima jocorum ſeges, aliaque pejoris notæ niſi aurium illius jacturam pluris feciſſem, quàm mendaciorum in tam tenui farragine ultionem. Sed hæc levia ſunt & quæ ille nihili facit, ſed pietatis perſonam, quam feliciter ſe ſuſtinere arbitratur, tanquam filiolam ſuam oſculatur ; tamen utcunque ſibi placeat, non poſſum mihi perſuadere quin temerati in confeſſionibus ſecreti ultrices furiæ aſſidue animum circumvolant ; ſi opus eſſet, poſſem tibi ipſiſſima verba recitare : cùm enim de pueris neſcio cujus obſcœnitatis manifeſtis vel ſuſpectis ſermo eſſet, primò veluti lymphatus cum ſuis verbis parum commoveri videretur confeſſus, mox ad modeſtiæ ſpeciem ore compoſito, ut extra indignationis ſenſum poſitum crederemus, ut colorem ſuis querelis prætexeret, ſine circuitu addidit, neſcire nos quo deſinant pueriles nequitiæ ſibi, utpote qui illis fuerat à confeſſionibus nimis notæ. Quis illico ex his verbis liquidò non intelligat ex confeſſionibus turpiſſimum aliquod flagitium innotuiſſe, præſertim cum de nomine notis eſſet ſermo. Probè novi poſſe illum lenire apud ſuos, aliorum ſocietate invidiam, ſed non turpitudinem ; alius enim (ut videas quàm quotidianum ſit apud illos temerati ſecreti flagitium)

tium) ſermonis calore eo provectus eſt, ut diſertè affirmaverit, ſe puellæ confeſſionem excepiſſe, quæ ſe & ſororem cum duobus Franciſcanis conſueviſſe candidiſſimè fatebatur, atque hoc ſemel & iterum & tertio in magnâ frequentiâ, ut facilè crediderim puerorum ſermone prolatum foris emanaſſe; & tamen hi boni homines in concionibus tanquam ſeſquimiraculum commemorant neminem hactenus poſt confeſſiones inventas extitiſſe, qui ſacramento obligatam fidem violaverit. Profectò hujus hominis impudentiam eò magis admiror, quòd cùm in collegio commoraretur, tam operosâ ambitione pietatis perſonam ſuſtineret, nullus hoſpes adveniebat, modò dignitate aliquâ aut honoribus ornatus, quin ſtatim obſequii immodicus, nihil intactum relinqueret, quo ſibi ad ejus amicitiam aditum muniret; vel ſi ſe ſperni animadverteret, aliquid ſaltem extorqueret unde gloriari poſſet, ſe officiis ſuis perfeciſſe, ne à ſuo ordine tam alienus diſcederet. Quinimo in ea officiorum aucupia & vetularum captatricem facundiam deſcendere ſolebat, ut malè mihi imperaverim, ut compoſito vultu ſcenæ inſervirem; modò enim huic tribuebat in ſermone vernaculam facundiam, alteri ſcholas vulgares ſuis meritis ſcenam eſſe imparem, caſtigatâ morum ſeveritate in rectoralis muneris amplitudinem exſurgendum eſſe, obviam omnibus comitatem, pectus vulgi oculis ſubductum, artes eſſe quibus ad Jeſuitici nominis celebritatem perveniendum eſſet; me etiam omnibus æqualibus anteferre ſolebat tam turpi & infra ſortis humanæ dignitatem dejectâ adulatione, ut mirari identidem ſubierit, quibus artibus eò impudentiæ frontem perfricuerit, ut ne verbo quidem læſus, contempta ex communi convictu contractâ neceſſitudine, & in rebus ſecretis, & intra domeſticos parietes retinendis violatâ fide, multorumque mendaciorum acceſſione fabulam ſuam locupletarit; nunc certè ita inno-

tuit, ut pueri naſum rhinocerotis habeant, & duplicitatem & circulatoriam facundiam, & fœminarum obſequium ſequius interpretentur, naſum, nam eſt liberaliter naſutus ſalaciæ proditorem dictitantes, egregie eſſe marem cui ad puerorum conſpectum tam experrecta eſſet libido; hactenus duntaxat monere volui, dum palinodia ad pœnitentiæ fidem proficiat, & ad ſaniora conſilia ſe mature conferat. Ex hoc uno diſce omnes; ſunt enim ſibi tam ſimiles quàm ovum eſt ovo.

Sophro. Enimvero ſuis coloribus hominem depinxiſti, & in eo univerſam Loyolitarum nationem. Nam ita ſunt ut dicis famigeruli, lucri ſtudioſi, avari, fanatici, qui omnes ſuas actiones magicâ quâdam ſuperſtitione, non vera virtutis perfectique officii ratione metiantur, ſatis ſe habere arbitrati ſi inſidioſâ ſimulatione conſequuntur, ut populares eſſe videantur. Hinc ad omnes fraudes, ad omnium virtutum perſonas induendas verſatile ingenium, & in omnem partem obliquandæ velificationis mira dexteritas, & ſolenne illud fatis accede, Deiſque inter arcana philoſophiæ præcepta reponunt. Cùm enim proſperitatem & religionem res maxime populares eſſe judicent, id ſedulo faciunt ut colant fœlices, & Diis accedere videantur; quinimo callidiſſimi homines hoc ordinis ſui legibus ſanctum habent, ut pro iis maximè Superos orent, qui ſunt reipublicæ honoribus & populi ſuffragiis ornati, hoc obſequium ad majora gradum eſſe rati; neque mediocrem inde quæſtum fecerunt, precibus horariis, jejuniis, confeſſionibus, miſſis, cum pecuniis commutatis.

Philo. Sæpius audivi callidiſſimâ ratione preces, jejunia, reliquaque pietatis officia auctionari Jeſuitas, cæterum uſque adeo noſtratibus novæ & inauditæ ſunt ejuſmodi merces, ut magnam à me gratiam iniveris, ſi novas has mercandi rationes fuſius explicaveris.

Sophro.

Sophro. Non modo preces, miſſæ, & confeſſiones ſunt apud eos vendibiles, ſed nulla vitæ actio eſt, quæ non ſit venalis: nam gratis nihil faciunt, non gratis ludunt, non gratis orant; cùm enim ſuis perſuadeant, omnem actionem viri religioſi adeo Deo acceptam eſſe, ut propter unam ſolam actionem quamcunque, modo à probo animo profectam, facilè longa Purgatorii ſpatia condonet, quid facilius quàm à timidis & ſuperſtitioſis mulierculis pecuniam emungere? Mihi crede, ubi ſemel clientes ſuos in hanc opinionem adduxerunt, uberrimam inde meſſem provenire neceſſe eſt; plus enim illi ocio,& ſomno quàm alii quotidiano ſudore lucrantur; ſomnia, ronchos, ſeceſſum, compotationes, in pretium convertunt, iiſque cum cœlitibus paciſcuntur, ne amici in Purgatorio ardeant; eodem ſpectat effuſa & ambitioſa illa ſedulitas, quâ hoſpites excipiunt; omnia fervent, nuſquam ceſſatur; quoties verò hoſpitem aliquem amplitudine ſpectabilem excipiunt, quem interiori admiſſioni deſignant, & inſigniter demereri ſtudent; eum in ſubductiora penetralia ducunt, ubi adoleſcentes in primis religioſæ vitæ elementis exercentur; dein magnificè collaudato cujuſque ingenio, & ſtudio & pietate, mox formoſulum aliquem producent, pudore ſuffuſis oculis, & præ lucis inſolentia non bene durante vultu; hunc, narrant, ſpretis ampliſſimis conditionibus & fortunæ blanditiis, ad religioſæ vitæ ſolitudinem animum applicaſſe: Sic voluiſſe numinis providentiam, ut excelſi animi & rerum humanarum contemptores, ad ſtudia honeſtatis ſe conferrent, eſſe in ſuo ordine quod magnos animos alliciat & expleat, vitæ aſperitatem, corporis flagellationes, virtutes eſſe antiquis incognitas, in hiſce artibus virtutis proram & puppim eſſe, his rationibus ſe animas à Purgatorio expedire, & amicorum ſalutem procurare; ſe quidem cum argentum poſſidere non liceat, non aliis muneribus benefactoribus ſuis

gratiam rependere poſſe, quàm ut precibus & verberibus domito corpore, illis numen propitium orent.

Philo. Mirabile narras genus hominum, apud quos omnia ſunt venalia.

Sophro. Imo ipſas nates pretio venales habent; nam aliquoties eâ lege pecuniam accipiunt, ut flagellatis clunibus, animabus in Purgatorio detentis, ſubveniant.

Philo. Quanti amabò, licent unius horæ à Purgatorio induciæ?

Sophro. Non ſum adeo Theologiæ peritus, ut tibi reſpondeam; quin potiùs ſciſcitare à ſenecione illo in vico Sabaudico, qui quicquid uſquam eſt, hæreticorum & hæreticarum, tribus Syllogiſmis ita concluſit, ut nunquam ſe inde expedituri ſint; ille enim in pulvere Theologico ab ineunte ætate verſatus, hoc conſecutus eſt, ut ſubductis rationibus pronunciare facilè poſſit, quanti ad horam redimenda ſit anima è Purgatorio, & conſultis Joannæ, Brigittæque ſpectris & lemuribus, Purgatorii ſpatia clepſydris & horologiis facilè metiri poſſit: quinimo his rationibus inſtructus, quas Salamancæ didicerat, uno ſpiritu hæreticos Anglicanos difflavit & eò redegit, ut Stillingfletus ipſe coram ipſo remotis arbitris, Purgatorium, Papam, Deos Deaſque Romano-Catholicas agnoſcere coactus fuerit, tanti erant ponderis Syllogiſmi Salmanticenſes. Hoc ipſe ſæpius & iterum prædicavit apud ſuos, & complures hac tacita & nocturnâ victoria ad ſuum gregem perduxit.

Philo. Antiquum ſuum obtinent ut ſua ament; nam, ut vetus eſt verbum, Bene ſuus cuique olet crepitus: cæterum ego nunquam Stillingfleti opera in manus ſumo, quin ad eorum lectionem cum religione quâdam accedam, & eruditiſſimi hominis candorem & ſimplicitatem exoſculer, ingenii opes ſuſpiciam, & ipſum veluti βιβλιοθήκην περιπατοῦσαν admirer; omnia in illo invenio tantâ fœlicitate inventa, tantâ curâ & induſtriâ limita.

Sophro.

Sophro. Non oportet nimis facilem eſſe in laudandis Hæreticis, ut non ſine ſupercilio me monuit quidam Theologus : Nam ſæpe fit, inquiebat ille, ut cum amore eruditionis doctrinæ contagio permanet.

Philo. Sapienter hercule & Theologice ; hoc ſane jamdudum didici non ſine gravi multorum offenſione ; cùm enim ſecure noſtratium virorum ſtudia & eruditionem collaudarem, Theologi illico me Gorgoneis oculis intueri, & increpare, Quid tu, impudens adoleſcens, audes eos laudare quos noſtri patres ſcriptis & ſyllogiſmis in formâ oppugnarunt, quos ex occultis & privatis ſuis opinionibus in apertam hæreſim conjecerunt ? Tune ſapis pluſquam reverendi noſtri patres, quorum omnis induſtria in veritate Romano-catholica propugnandâ tam honeſtè verſatas eſt ? Tune ſapis pluſquam Filucius, Eſcobar, Gobat, lucidi Caſuiſtæ, limpidi Theologiſtæ, zeloſi Confeſſarii ? Nihili facis generalem noſtrum qui tot mortuos ad vitam excitavit ? Sed deſertis noſtris patribus legis Baconum, Digbæum, Blacloum, Stillingfletum, Cudworthum ; ſatis novimus quid te futurum ſit, ſi pertendas in incepto, caveſis ne in hæreſin deſinat tam præcox ſapientia ; ſatius eſſet ſi miſſis Græculis & Poetis & mundanâ doctrinâ (ſuam enim cœleſtem vocant, reliquam poeticam & mundanam) Rodrigueſium, Gomeſium, Alvarum de Paz, Lanciciumq; perlegeres, poſt quaſi de æterna ſalute conclamatum eſſet, non eoſdem vultus in congreſſu habere, ſed inepta lenitatis & clementiæ ſimulatione hoc agere, ut ſtultitiam meam non odiſſe, ſed miſereri viderentur : hoc addito eos eſſe bliteos & aſinos, quos tantopere admiratus ſum ; ego hæc convitia à bile Theologica profecta in præſens muſſitanda putavi, gnarus utique quanta ſuppliciorum acerbitate opinandi libertatem infeſtam haberent, & omni ope facere conatus ſum, ut maledicta ex ſcurrarum convitiis petita,

parcius

parcius viris objicerent de muſis patriis tam bene meritis; hoc ab illis petere jus humanitatis, ne de viris præclaris famæ honoribus ornatis, tam ſiniſtrè ſentirent; religionis catholicæ præceptis eos vetari quo minus de aliis temere judicarent, non eſſe humanæ ſortis hominum animos intueri, Deum ſolum eſſe, appellarique cordium ſcrutatorem; fortaſſe illos ſincero animo validiſque rationum momentis adductos religionem ſuam amplexos eſſe, eſſe pietatis Chriſtianæ aliorum actiones interpretari in mitiorem ſenſum; non poſſe fieri ut tota Anglia vel humani generis pars ulla viva, videnſque repudiatâ veritate falſitatem amplecteretur; ſic eſſe inſitum hominum animis veritatis amorem, ut nullâ vi aut potentiâ inde poſſit eradicari, utque uberiorem gratiam inirem, addidi hoc eſſe axioma Philoſophiæ Ariſtotelicæ, cui tota Scotiſtarum manus ſubſcripſerat, non poſſe animum notæ falſitati aſſentiri.

Sophro. Quibus argutiis ſe inde expedierunt, prius Chriſtum quàm Ariſtotelem deſerturi?

Philo. Tantum aberat, ut ſe putarent eo argumento redactos ut pacem inirent cum hæreticis aut de eorum probitate mitius ſentirent, ut quidam ſtrenuè aſſereret, reſponſum vel ipſis pueris uno menſe in parvis Logicalibus verſatis, in promptu eſſe; cumque aliquid tanto hiatu dignum ab hoc magnifico promiſſore expectarem, tandem arcuato ſupercilio & verba geſtu operosè ſanciens, perinde quaſi ſalus Britanniarum ſuis verbis niteretur, tandem ait ſe unâ ſubtiliſſimâ diſtinctione ita rem totam confecturum, ut planè obmuteſcere cogantur hæretici, nimirum aliud verum eſſe in ſpeculatione, aliud in praxi. Hoc dictum tam ſecundâ omnium admurmuratione exceptum fuit, ut ipſe ſibi de hoc triumpho impensè placuerit, non ſecus quam ſi Babylonas deviciſſet, ſibi viſus inſigniter veritati catholicæ litaſſe, qui diſtinctiunculam illam commentus eſſet, labentem Eccleſiam fulcituram. *Sophro.*

Sophro. Quid ergo exiſtimabat omnes heterodoxos notam falſitatem amplexos eſſe.

Philo. Id mordicus aſſerebat, eoq; pacto cavebat, ne inducias hæreticis concederet; ſi enim ſemel admiſiſſet, poſſe fieri ut homines ratione præditi, qui fidem, æquitatem, & conſcientiam mentis ſuæ in conſilio haberent, ad hæreticorum partes accederent, videbat homo catus quantum aditum hæreticis ad cœlum aperturus eſſet, quare ne ſedes illas beatas Diis Deabuſq; Romano-catholicis arctatas hæreticorum ſocietate inceſtaret, fortiter aſſeruit omnes à doctrinâ Romanâ diſſentientes contra conſcientiam ſuam peccare, eoq; nomine æternis ſuppliciis addicendos. Cæterum non gravatè faſſus eſt, nullas corporis aut ingenii dotes in nobis Deum ſpectare, ſed ſolùm animi conſcientiam, ex hujus teſtimonio, vel condemnandos, vel abſolvendos nos eſſe.

Sophro. Si illud verum ſit, ut ego puto veriſſimum, iniquam ſanè legem, & miſeram conditionem hominum periculis inſtituiſſe, exiſtimo Romanum Pontificem, qui tantâ ſuppliciorum atrocitate ad alienæ conſcientiæ normam nos adigere conetur, quiq; putet Eccleſiæ ſuæ judicium contra noſtram pro præjudicio aliquo valere oportere; ſi enim ſolius conſcientiæ teſtimonium à nobis exigat cordium ſcrutator Deus, quo pertinent tot carceres, cruciatus, inquiſitorum terriculamenta, ut homines adigant ad religionem quàm ſalvâ conſcientiæ integritate amplecti non poſſunt? Unde illi id imperium in animum humanum? Quis animo imponet neceſſitatem, vel credendi quod nolit, vel quod velit, non credendi, ut Lactan. *lib.* 5. *c.* 13. Nunquid olim pronunciavit Bernardus, Religionem ſuadendam non imperandam, *Serm.* 66. *in Can.* Et Caſſiodorus, Religionem imperari non poſſe, *lib.* 2. *epiſt.* 27. Nunquid hæc omnia juxta Catholicorum ſententiam prætermitti poſſunt? Erat, inquit Seneca, Si quis putat ſervitutem in totum hominem

minem descendere, pars enim melior excepta est, corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens sui juris est, *Bene.* 3.

Philo. Profectò si poneretur pontificia illa severitas & præjudicia ab institutionis vitio & consuetudine profecta, minimè dubitarem futurum, modò absit insidiosa Loyolitarum duplicitas, quin Ecclesia Anglicana in religionis cultu, cum Romanâ consentiret. Sed Loyolitæ frigidam suffundunt, gnari utiq; quantum sibi quæstum pariant hæ contentiones; absq; enim his esset, frigerent sedes confessionales, nec tam magnifica in Belgio collegia ad retundendos hæreticorum impetus, ut loquuntur, extruxisset superstitiosa vetularum credulitas. Sed desinamus ineptiarum & sordes illas immotas relinquamus, quæ de conscientiâ loquutus sum, eò dixi, ut me ab invidiâ novitatis liberarem, quam nonnulli mihi studiosè conflarant, inde arreptâ occasione, quod aliquando dixissem mihi esse persuasum, Deum à nobis non aliud postulare quàm mentis puritatem; illum esse solum καρδιογνώστην, homines non posse de animo judicare, qui soli Deo patet; inventus est enim è Jesuitarum grege nescio quis, qui me quasi Atheum traduceret, & de catholicâ religione parùm honorificè sentientem, quod postea fecisse illum comperio, non disputandi, sed contendendi studio; ipse enim sæpiùs idem dictitarat, sed putabat futurum, ut ipse ostendendi zeli occasionem aucuparetur, quæ erat hominis gloriola, nihil interim pensi habens quantas tragœdias excitaturus esset; illis enim has nænias cantabat, qui in Jesuitarum verba jurati, frontem de rebus periisse crederent, si quis Jesuitæ de rebus sacris verba facienti fidem non haberet, sic illis quæstui sunt superstitione capti animi.

FINIS.

59622